

371

V  
39.



~~A. H. C.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

V.

VITEBERG.

39.

SIGNAT. CI<sup>o</sup>I<sup>o</sup>CCCXIII.

*3 ym v. / 1722*

DEO DUCE AC LUCE.

ΦΩΤΟΛΟΓΙΑ

Seu

LUCIS

Contemplatio Physica,

Quam

Auspiciis

Incluti Collegii Philosophorum

in almâ Lipsiâ,

Vice disputationis pro Loco

Secundæ

Publicè proponit

M. MATTHIAS BUCHOLDUS

Brandenburgensis.

Ad diem 23. Januarii

---

Anno 1630.

In auditorio Philosophico.



L I P S I Æ

Excudebat GREGORIUS Nisch,



150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160





I. N. J.

Thesis I.



Uod sapiens ille scriptorum sa-  
crorum Syracides de operibus Dei in Cap. 43. 23.  
universum affirmare haut dubitavit ;  
illa omnia esse jucūda admodūm,  
quamvis quæ in iis cognoscimus,  
sint tanquam scintillula respectu  
eorum quæ ignoramus : Id sanè in  
specie de pulcherrimo nec satis unquam pro dignitate laudato  
Dei opere , Luce inquam , quæ mundi hujus adhuc rudis pri- Gen. 1. v. 3.  
mus erat ornatus primaq; perfectio, eoq; nomine statim ab ipso 4. 5.  
Autore dilecta fuit, verissimum esse ecquis est qui nesciat ?

2. Enimverò ut ipsa luce rerum cœlestium, dicente Exerc. 71.  
Scaligero, nulla excellentior est : sic nulla jucundior, f. 1.  
nulla amœnior vel pulchrior. Absq; Luce enim jacent cun-  
cta, veluti situ & squalore obsita ; sed per eam omnium pul-  
chritudo rerum confestim apparet : quandoquidem infera  
superaq; omnia quasi aurea cujusdam vestis splendore circum-  
fundit, & ubiq; distinctionem ac varietatem rerum common-  
strat, atq; in mixtis corporibus alioqui absconditam multipli-  
cium colorum picturam suæ presentie nitore ostendit : ut à Co- 1. 2. de colo.  
nimbricensibus non minus eruditè quàm copiosè hâc de re c. 7. 9. 5.  
differitur. art. 20.

3. Quantis verò Philosophicæ ejus contemplatio difficul-  
tatibus undiq; circumfusa sit & intricata, quamq; parva de  
hâc scintillula in natura ipsius inquisitione menti nostræ ap-  
pareat ;

Plutarch. de  
lib. educ. ex  
Platonis Hip.  
maj.

pareat; vel me tacente ex vulgari illo & ubiq; communi in  
hominum consortio quàm tritissimo adagio: δύσκολα τὰ κα-  
λά: omnibus candidis rerum aestimatoribus quàm notissimum  
est, καὶ τε τῆ ζυγαλῆς ὁδῶν τῶν φιλοσοφῶντων, qui jam à tot  
seculis Lucis naturam vix per transfennam inspexerunt, ἰσο-  
ψηφία probatissimum.

Exerc. 71. s. 1.

In Astron.  
opt. c. 1. in  
append.

Cæl. Rhod.  
l. 24. c. 9.

4. Quin id ipsum subtilitatum Magister, summus Scali-  
ger, cujus ingenio proximo seculo nihil præstantius extitisse,  
neminem ad summam doctrinæ excellentiam propiùs accessisse  
certum est, scripturus de Luce & Lumine fateri non eru-  
buit, partem eam in philosophiâ esse subtilissimam. Sed  
& Keplerus, quem nostro seculo ob acumen ingenii mirantur  
omnes, imitabuntur pauci, impossibile esse affirmat, ipsissi-  
mam Lucis naturam penitus rimari. Ut enim oculus ad  
Solem intuendum directus eximio fulgore perstringitur & ca-  
ligat: Eodem modo mentis nostræ acies ad Lucis reconditam  
& abstrusam naturam contemplandam hebescit, ac ceu Gor-  
gone visâ obstupescit, quam veteres propter eximium venu-  
statis suæ decus mentis inopes ac prorsum stupidos reddentem  
spectatores, in saxa eos deformasse fabuloso involucro confin-  
xerunt.

5. Quid igitur? animum despondentes Lucis considera-  
tionem minimè curabimus, ejusq; contemplationem planè re-  
linquemus, cum difficilem adeò in sui inquisitione vultum no-  
bis obvertat? Minimè verò; quin potius elegantiam & amabi-  
litate ipsius invitati, ac ceu p biltro plus quàm Thessalico alle-  
cti, banc arduam licet provinciam suscipiamus, ejusq; sub one-  
re nos patiamur premi, modò non contingat suppressi; ut con-  
trarios inter sermones, placidos tamen & amicos, veritas, quæ  
si uspiam, hanc certè in materiâ profundissimo puteo immersa,  
eruat, elucescat, propugnetur, quousq; quidem humana  
mentis

*mentis caligo & cœcitas potis est. Nam, ut rectè inquit Zabarella, rerum nobilium rudis & imperfecta cognitio expetibilior est, quàm exquisita & perfecta aliarum ignobilium. Nec malè Philosophus noster eum, qui non arrogantiæ fastu inflammatus, sed Ἀγὸ τὸ φιλοσοφίας διψῆν difficilia aggreditur, laude potius quàm vituperatione dignum censuit, esto, illa non omni ex parte assequatur, sed cum vulpeculâ Scaligeri à Ciconia elusâ lambat vitreum vas, pulstem haut attingat. Ut proinde non tam facultate parati, quàm hujus amore excitati, non tam disputandi voluptate, quàm discendi cupiditate commoti fuerimus, mirandam Lucis naturam sobriè philosophantium ἐξετάσας subjicere.*

*Lib. de natura cœli, c. 4.*

*ex Aristotele l. 1. de part. animal. c. 5.*

*l. 2. de cœlo c. 12. t. 60.*

*Exerc. 307. f. 21.*

6. *Antequam autem rem ipsam ordiamur, saluberrimum illud Logicorum præceptum juxtâ atq; exemplum insecuti, vocem ambiguum ab equivocationibus liberare, & confusions tenebras distinctionis luce dissipellere prius, quàm definire annitemur. Variè Lucis nomen accipitur, vel propriè, vel impropiè; & sic quidem vel metaphoricè, vel metonymicè. Metaphoricè, ut in sacris literis, de Deo, de Christo, de vita corporali & spiritali, de re sanctâ & justâ, de re utili ac salutari, de re lætâ & jucundâ, de doctrinâ & notitiâ mysteriorum divinarum, aliisq; pluribus, annotante Flacio in Cl. Ser. S. Ut vel hinc aliquis insignem cernere queat utilitatem, quam hujusmodi de Luce instituta contemplatio rerum divinarum interpretibus præstat. Metonymicè autem rursus vel pro ipso corpore lucido, quemadmodum fit à Philosopho, qui tres numerat ignis species, carbonem, flammam & lucem. Vel pro Lumine, quod in perspicuo extra corpus lucidum diffunditur; ut passim videre est in Autoribus.*

*Vocis distinctio. Etio.*

*l. 4. met. c. 9.*

7. *Idius verò Lux significat qualitatem corpori per se lucido infixam seu inbarentem, quatenus in ipso manet &*

*de se emittit lumen, quod in aëre ita videtur, ut alibi (ver-*  
*ba sunt Scaligeri) terminetur & faciat visilem superfi-*  
*ciem per colorem: tametsi hac à Græcis à Græcis minus cu-*  
*rata fuerit; iis namq; & hoc, quod in corpore lucido est, & id*  
*quod à lucido fluit corpore, Quis dicitur; fortè (ut Scaliger*  
*existimat) quia minus subtiliter considerantes puta-*  
*runt idem.*

*Exerc. 71. s. 1.*  
*Magis. l. 6.*  
*Phys. c. 7.*  
*Senn. l. 2.*  
*Phys. c. 2.*

*Kepl. c. 1.*  
*pt. 7. in opt.*

*Rhod. in opt.*  
*l. 1. c. 2.*

8. Atq; hanc propriam & nativam Lucis acceptio-  
nem hic loci obtinere volumus. Unde nemini non liquidè  
constare arbitramur, cuinam disciplinarum generi hæc  
de Luce dissertatio adscribenda sit: Etenim nequit ad  
Perspectivam, ut vocant, doctrinam referri, quippe que  
certum luminis respectum saltem sibi vendicat, eumq; non  
essentia, quæ lumen est, sed quantitatum, quas recipit, ac  
prout ipsius operâ quasi propriâ res in mundo creata videntur  
ab omnibus: verùm sedes ejus genuina & patria naturali  
adjudicanda est scientiæ, ipsam Lucis essentiam diligentis-  
simè rimanti, in eâ nimirum parte, ubi cæli siderumq; affectio-  
nes, quas inter principem Lux tenet locum, evolvuntur.

9. His ita præmissis de Lucis nunc Essentia & naturâ  
agendum est, cujus considerationem filo methodi simpli-  
cis, talibus materiis tractandis aptissima, pertexere pro virili  
annitemur, definitionem, differentias, causas & effectus  
eruendo.

*Definitio.*

10. Definitionem perfectum illud cognoscendi princi-  
pium, agente Aristot. l. 6. Top. c. 1. hunc in modum conforma-  
mus: Lux est qualitas prima corporis per se lucidi, sui  
diffusiva, ex condensatione perspicui orta.

11. Genus hæc in definitione est qualitas prima, cui dif-  
ferentiæ loco subjunguntur causæ Lucis sequentibus verbis  
involuta. Est verò illud depromptum ex tabulâ predicamen-  
tali



tali qualitatibus tertii generis; quod quam rectè & verè assignatum sit, paulo post videbimus, vindicaturi illud ante omnia ab obstrepentium injuriis.

12. Quidam enim, ut Scaliger, Lucem veluti cœlestis corporis qualitatem, ac proinde omnis interitus expertem, planè proscribunt ex Categoriarum albo, eò quod non in idem genus convenire, aut ab eodem genere proficisci possint corruptibile atq; incorruptibile, sed plus quam genere distent: ἀνάγκη γὰρ ἕτερον εἶναι τῷ γένει τὸ φθαρτὸν καὶ τὸ ἀφθαρτὸν, quod est axioma Philosophi lib. 10. metaph. c. 10.

13. Sed ut pace tanti viri, quem suspicimus & veneramur maximè, liberè fateamur; primùm hypothesis illa de cœlestium corporum qualitatibus ἀφθαρσία non nihil à scopo veritatis aberrat. Licet enim Aristoteles, & cum eo multi peripatetici prisci & recentiores hanc foverint sententiam, cœlum esse ἀφθαρτὸν καὶ ἀγέννητον, h. e. incorruptibile & ingenerabile; simpliciter tamen ita dici non posse, sed quò ad partes (sicut omnia Elementa tantùm, quò ad partes, corrumpuntur) aliqualem corruptibilitatem intrinsecam & naturalem admittendam esse evidenter liquet, cum ratione ductà ex primà cœli materià, qua respectu formæ suæ habet potentiam passivam, contradictionis scilicet, & ad esse, & ad non esse, & cui hoc essenziale est, convenire sibi mutationem ab opposito ad oppositum: tum verò per experientiam fidei magistræ, quæ verissimilimū est in cœlo materiã datam novis stellis, & ita generationem unius fuisse corruptionem alterius. Quamvis accuratè ibi talem dari corruptionem, quæ sit de genere mutationum elementarium ex contrarietate qualitatibus orta, haut asseramus: attamen ex modici ignorantie rem ipsam negare velle, ut iniquissimum est, ita non nisi hominis perquam cervicosi.

14. De-

14. Deinde ut maximè demus hoc ita esse (quod neque Philosophus, neq; alius, non ipsa Svada nobis persuaserit) quis non videt  $\Psi$  δεγμνείαν committi textus Aristotelici 10. metaph. 10. ubi per genus non intelligitur genus Logicum prædicamentale, sed Physicum, quod est materia, docente Javello quest. 21. super loc. cit.

15. Porro his, qui Lucem ascribunt in classem Categoriarum, earumq; civitate donant, non idem sensus est. Sunt enim, qui substantiis annumerant, sunt qui qualitatibus. Illi, alieni à veritate, Lucem ipsam substantialem corporum lucentium formam esse contendunt, freti vel abusi potius  $\S$  rationibus  $\S$  auctoritatibus; quas recensere ac refellere nobis jam non vacat. Qui volet, adeat Conimbricenses in lib. 2. Aristotelis de cælo c. 7. q. 2. art. 1.  $\S$  2. Interim verò contradicentibus hos duos Syllogismos apponimus concoquendos.

1. Nulla substantia per se sub sensum cadit.

Lux per se sub sensum cadit: Est enim qualitas tertii generis, cujus proprium est sub sensum cadere per se, ex th. 19.

Ergo Lux non est substantia.

2. Si Lux est forma substantialis, aut est generica, aut specifica.

Non generica, aliàs ex æquo communis esset, non secundum magis  $\S$  minus, ex th. 20.  $\S$  seqq.

Non specifica, aliàs non communis esset rebus specie diversissimis, ut astris  $\S$  rebus elementaribus.

Ergo Lux forma substantialis esse nequit.

16. Omnium ergo rectissimè facere ipsumq; veritatis scopum attingere videntur, qui Lucem inter qualitates referunt. Quod non modò ratio oppositionis ostendit, Lucem  
nimi-

Jac. Mart. in  
Log. lib. 2.  
c. 8.

nimirum esse qualitatem tenebris oppositam, verum &  
 denominationis, quando ab ea quid quale, corpus luci-  
 dum, simpliciter denominatur. ποιότητα γὰρ λέγουσι, καθ' ἡ  
 ποιοί τινες εἶναι λέγουται. Neq; alicujus ponderis vel auctori-  
 tatis est ista exceptio, quod Lux contrario destituatur,  
 (siquidem tenebrae, quae Luci maximè repugnant, non oppo-  
 nuntur ei contrariè, sed privativè) qualitatum verò sit  
 contrarietas, ad mentem Philosophi dicentis: Ἐναντιότης κατὰ τὸ ποιοῦν. Etenim Luci peculiare est contra-  
 rium non habere, cum sit nativa quedam affectio corpo-  
 rum coelestium, quae natura ipsa à contrariis qualitatibus  
 exempta videtur. Aristot. 1. de  
caelo 8. 20. Quamvis nonnulli contrarium dent, vide-  
 licet opacitatem, quae tamen non cum Luce, sed perspicui-  
 tate adversariam exercet. Ut taceamus istam affectionem  
 competere quidem πρώτως solis qualitatibus, sed non om-  
 nibus; figura enim nihil est contrarium: idem verum esse  
 de habitibus principiorum, & potentiis propriè sumtis, osten-  
 dit Rev. & Cl. Jac. Mart. in Metaphysicis suis partitionibus. Lib. 2. sec. 10.  
 17. Caterum cum quatuor sint qualitatis species, quae  
 nam illarum Lucem sibi desponsatam teneat, dubium est.  
 Sunt qui putent eam ad Habitum pertinere, quatenus scili-  
 cet benè afficit subiectum, quod Fonseca pronunciaffe re-  
 fert Bartholinus. Sed cum Lux inanimato insit, l. 3. Phys.  
c. 16. Habitum  
 verò non nisi animato, & si propriè loqui velimus, tan-  
 tum rationali, quod promptum reddit ad actiones cum dele-  
 ctatione exercendas, manifestum est, Lucem ad Habitum  
1ac. M. l. 2.  
Exerc. metaph. 9.  
theor. 2.  
 non nisi improprie referri. Adde quod Lux natura insit,  
 una cum subiecto suo orta; Habitum autem cum subiecto suo  
 nunquam nascitur, sed in solidum vel per exercitationem cre-  
 bram acquiritur & subiecto imprimitur; vel alio modo sin-  
 gulari ac supernaturali infunditur, seu confertur.

B

18. Ad



18. *Adeundem modum nec secunda qualitatis species*  
*In Paral. c. 6. ambitu suo Lucem complectitur, quamvis initio à Keplero*  
*n. 2. nobis propemodum sic persuasum fuisset. Nam potentia na-*  
*turalis tantum δύναμις est, non ἐνέργεια, non actus. Lux verò*  
*in primis actualis est vel afficiens; non potentia tantum ad*  
*lucendum, sed ipsa lucendi ἐνέργεια, quæ passionis circa sensum*  
*effectrix est: ut vel hinc satis constet eam omnium γνησίων*  
*sub tertii generis comprehendi qualitatibus, passibilibus*  
*inquam, per quas non intelligenda est (ut rectè annotat*  
*Part. Com. l. 1. Crellius in Isagoge Logica) potentia illarum, sic enim cum*  
*de Pred. Qual. secunda specie concurrerent; sed ἐνέργεια, id quod vocabulum*  
*in in 6 declarat, & Aristoteles explicat, quum καθήκον*  
*ποιότητος idem esse docet atq; καθῆκον ποιότητος.*

19. *Cum itaq; Lux qualitatem passibilem agnoscat su-*  
*periores, ejusq; quasi imperio unice subjecta sit, ipso Sole*  
*clarius patet genus supra in definitione nostrâ perbenè ac*  
*legitimè assignatum fuisse. Qualitates namq; sensu perce-*  
*ptibiles duum sunt generum, vel animi vel corporis; hæ rur-*  
*sus vel primæ vel secundæ: primæ numero quinque: Lux,*  
*calor, frigus, humor, siccitas; quemadmodum videre est*  
*ex Schemate delineato in Log. instit. D. Jac. Martini.*

20. *Proximum jam est, ut ad differentias lucis acce-*  
*damus; nam cætera, quæ sequuntur, definitionis verba, in*  
*causarum expositione dabimus evoluta. Quanquam verò*  
*Lux ut qualitas simplicissima & perfectissima, non est divi-*  
*dua in aliam atq; aliam specie discrepantem, sicut post monstra-*  
*bitur: tamen quod plerisq; usu venit accidentibus, pro di-*  
*versitate subjectorum quandam admittit distinctionem.*

21. *Nos utcunq; sic disspescimus. Lux vel est ætherea,*  
*vel Elementaris. Ætherea cælestia incolit corpora, stellas*  
*inquam, quæ quidem omnes (nisi fortassis cum Keplero*  
*Lunam*

*In opt. c. 6.*  
*n. 10.*

Lunam excipias) suâ luce radiant, sed inæqualiter. Quorundam enim nitor tam exilis est respectu oculi nostri, ut vix percipi possit. Unde Sol omnium lucidissimus reliquis stellis nonnihil luminis impertit, non quidem, ac si alie de suo non luceant; sed quia exigua illa Lux à Sole intenditur, quem propterea ab Heraclito fontem lucis, ab aliis Patrem luminis appellatum esse credimus. Vide institut. Phys. Jachæi. l. 5. c. 12.

22. Elementaris Lux in sublunaribus sese conspiciendam præbet, sive luminosæ qualitatis igneam, sive nitoris aqueam & aëream, sive coloris terream conditionem insequentis nomine veniat. Est enim color nihil aliud, quam Lux potentialis (intellige, prout se non communicat, sed intra sui subjecti terminos continetur) in mixto hebetata & retusa ab opacitate materiæ terrestris, in quâ, ut ita dicam, sepulta est & veluti sub cineribus gliscit.

23. Quemadmodum autem Lux omnium astrorum ejusdem est speciei, quippe cum una Lux primo die creata, distributa fuerit & compacta quasi in omnes stellas; adhæc augeatur & intendatur ab ascititio lumine, cum quo in unam naturam singularem per se coit ac unitur; nec id modo, verum etiam nullum extet specifici discriminis fundamentum, cum ejusdem prorsus rationis in se formaliter omnia lumina appareant: Ita neq; sublunaris, neq; universim Lux omnis & sublunaris & cœlestis inter se specie disjungitur, sed ejusdem est natura in omnibus, cum mutuo incremento sese augeat, neq; ulla evidens natura necessitas, sine quâ nova Entia in naturæ censum temerè non sunt invehenda, diversitatem inter eam evincat. Unde videre est, illam non nisi gradu & mensura discrepare, adeoque (sunt verba Kepleri) quod differt potentia caloris in Zingibere ab actu caloris in igne, hoc videtur differre

Lux in materiâ coloratâ à Luce in Sole: ac proinde utri-  
usq; & cœlestis & inferioris Lucis scientia propter com-  
munem naturæ rationem indivulsè cobarent.

24. Neque hic, qua objici solent de diverso collucendi  
modo in sublunaribus, de lucis item causis & effectibus specie  
differentibus, ullâ ratione militant. Nam, ut paucis singula  
perstringamus (1.) diversus collucendi modus in inf:-  
rioribus Lucis discrimen accidentarium duntaxat, non  
essentiale importat, veluti cum quedam noctu tantum  
splendent, ut Cicindelæ, quercus putridæ; quedam noctu  
juxta ac interdiu: ut ignis. (2.) Nec quia astra specie dif-  
fident, eodem pacto Lux eorum differet: obtineret hoc,  
si Lux naturam cujusq; astri peculiarem vel constitueret tan-  
quam differentia specifica, vel consequeretur ad minimum  
ut proprietas reciproca, non ut accidens omnibus lucidis cor-  
poribus commune. (3.) Sed & effecta specificam distin-  
ctionem non arguunt, nisi sint proxima, seu ex immediatis  
actionibus profecta; ut caloris ex calefactione, frigoris ex  
frigectione, sic Lucis ex illuminatione, que tantum  
differunt ut magis & minus, Lucisq; identitatem validè  
evincunt: Secus, Lux Solis à seipsâ specie discrepabit, aut  
ipse calor, qui liquefacit ceram, lutum indurat, & nunc ad  
hominis, nunc ad Leonis generationem concurrit, à se diver-  
sus erit, quod ἀτόκον. Plura de his qui cupit, videat Conim-  
bricenses. Nobis breviter ea perstrinxisse sufficiat.

1. 2. de calo  
o. 7. 9. 3. art.  
1. & 3.

Causa.

25. Sed ad causas Lucis proficiscamur. Harum enim  
consideratio ut in disciplinis omnibus, ita maximè in disputa-  
tionibus Physicis, plurimum & lucis & emolumentis rebus  
conferre solet. τότε γὰρ οἷός τις γινώσκου ἐκαστον, ὅταν μὲν αἰτία  
γινώσκωμεν, b. e. tùm enim videmur nosse unumquodq;, cum  
causas indagamus, auctore Aristotele lib. 1. Φυσ. ἀνε. c. 1. 1.

26. Sunt

26. Sunt autem causæ Lucis in duplici differentia; interna alie, alie externæ: illæ sunt Materia & Forma: hæ Efficiens & Finis.

27. Efficiens (liceat ab hæc auspiciari) est vel prima, <sup>Efficiens.</sup> vel secunda: illa est Lux increata ac substantialis, Deus Ter Optimus Maximus, inhabitans  $\Phi\omega\varsigma$  ἀπερίοριστον; qui <sup>1. Tim. 6.</sup> volens extare sui vestigium in opere à se condito hanc, qualitatum omnium facile principem ac reginam, dicente Ambrosio l. 1. Hexa. c. 9. non modò die creationis statim primo pro- <sup>Gen. 1. 7. 8.</sup> duxit, eamq; quarto post divisit, & in certos quasi globos <sup>v. 4.</sup> ac  $\Phi\omega\varsigma$  ἡμέρας compegit; (primigeniam enim Lucem illam annihilatam evanuisse, & dictu & cogitatu absurdum, cum bona fuerit) sed etiam Naturæ à se institutæ, qua sanè nihil aliud, quàm potestas Dei ordinaria seu vicaria est, certam quandam vim benignè concessit ac indidit, quâ pro rei usu ac necessitate Lucem à se produceret.

28. Secunda autem causa eaq; proxima qua sit, paulò difficilius est dicere quàm querere. Hic enim in primis locum habet, quod præcellens ille divinationum Commentator <sup>Lib. de Meteorol.</sup> fateri non erubuit: Lucis, inquit, natura peculiaris est nobisq; imperscrutabilis. Unde à nemine nobis vitio vorsum iri confidimus, si cum Scaligero debitum non solvamus, <sup>Enoch. 344. s. 8.</sup> sed bonâ fide tanquam pignus relinquamus ingenui candidiq; animi verbum hoc: NESCIMUS: ac cum Academicis τὰ ἐπιέχοντα potius arripiamus, quàm ut certi aliquid in re tam incerta affirmemus.

29. Quia verò jussu & exemplo Philosophi in hujuscemodi dubitationibus, <sup>Lib. 2. de celo s. 12. l. 60.</sup> περιεὶ ὧν εἰκότως ἀνὸς ὁσιστὸν διατηροῦσθαι, tentandum est dicere, quid veritati maximè consentaneum videatur; quippe cum omnium veneratione potius dignum, quàm tenerarium censerì oporteat, si quispiam Philosophiæ studio

*studio inflammatus μινυρὰς ἐν πορίᾳς ἀμετ, περὶ ὧν τὰς μεγί-  
σας ἔχομεν ἀπορίᾳς: Ecce, animus redit jam, quæ nobis visa  
est probabilior de Lucis causâ sententia, exponere; eidem  
inhærebimus tantisper, dum verior monstrata fuerit.*

In Paral. c. 6.  
n. 1.

30. Nequaquam autem ad stipulari possumus Keplero in assi-  
gnandâ animâ Lucis productricæ; pro quâ depugnat ipse  
hoc modo: Ex hujus (intellige animæ vel facultatis vitalis)  
inhabitatione in corpore densissimo & purissimo (lo-  
quitur de Sole) ejusq; potentissimâ vivificatione seu in-  
formatione, victoriâ nempe animæ & subjugatione  
contumacissimæ materiæ lucem resultare consenta-  
neum est, incertum quâ ratione, certum tamen exem-  
plis multarum rerum sublunarium. Dic enim Physice,  
ubi videris orientem flammam sine calore, qui est vel  
ex animali facultate, vel olim ab ea progenitus? Dic præ-  
tereâ, quam materiam videris inflammari, quæ non sit  
per animale aliquam facultatem in ejus proprio cor-  
pore genita? ut olea, resinæ, &c. De subterraneis ne  
quid suspiceris, illa sunt opus animalis in globo terræ  
facultatis, metallorum & fluviorum ex aquâ marinâ ge-  
neratricis, subterraneorum calfactricis & tutricis à fri-  
gore superno, harmonicorum cœli motuum, sine qui-  
dem discursu, perceptricis, mirabilium in fossilibus fi-  
gurarum formatricis: ut palpare illam possis, si cerne-  
re nequeas. Adeò semper lux animali facultati connexa  
est, &c.

31. Hæc ut ut in speciem videntur plausibilia, diligen-  
tius tamen expensa minùs minùsq; (ignoscat nobis Genius  
Keplerianus) placere incipiunt. Nam primò, ut nihil dica-  
mus περὶ τῆς τῆς ζήλωνος λήψεως in eo, quando calorem  
omnem vel ex animali facultate esse, vel olim ab eâ proge-  
nitus



tum ait; non statim ab eadem causa hæc proficisci credere debemus, quæ semper unà peroriuntur. Dic enim, Keplere, ubi videris productam rationalitatem sine vita, quæ est à facultate vegetante? Quam si quis propterea rationalitatis causam diceret, is profectò eundem calceum omni pedi inducere, vel ad instar imperiti Medici uno collyrio omnium oculos sanare velle crederetur. Prætereà videmus inflammari materiam (qualem sibi dari tam confidenter postulat) quæ non est per animalem facultatem genita: ut sulphur, & bitumen: quamvis & horum generationem animali in terræ globo facultati adscribat. Verùm nibilest, ut hinc multum metuamus: nam dogma illud de terræ vitâ jam pridem obturatis auribus exceptum est.

32. Verior ergò Lucis causa esse videtur condensatio perspicui: quæ ut rectiùs evolvatur ac evidentius explicetur, primùm quid perspicuitatis, deinde quid condensationis nomine veniat ac intelligi debeat, considerandum est.

33. Illa autem perspicuitas inveniri datur in perspicuis corporibus, qualia sunt, cœlum & Elementa hæc tria: Ignis, aër, aqua. Estq; comes aut Effectus puritatis, tenuitatis ac raritatis. Unde quò quid purius est, quò subtilius vel rarius, eò perfectiorem perspicuitatis gradum continet; veluti est cœlestis substantia inter stellas expansa, & earum interstitia inficiens: In hæc enim certant invicem summa puritas substantiæ, illiusq; eximia raritas cum tenuitate incredibili & inestimabili. Elementa verò inferiorem perspicuitatis nacta sunt gradum, inter quæ aqua postremas tenet.

34. Sed condensatio nil aliud est, quàm materiæ plurimæ constipatio & (ut ita loquar) inculcatio in angusto subjecto; ut quò plus materiæ tenuissimæ lucidum corpus in-

Arist. in Epit.  
Phys. de sensu  
& sens. c. 30

Aristot. 4.  
Phys. t. 84.

tra

1<sup>o</sup> opt. c. 6.  
num. 1.

tra angustos terminos complectitur, eò lucidius quoq; splen-  
deat ac refulgeat: Quod vel ad oculum apparet in uno Solis  
globo omnium lucidissimo, quem tantum materiæ intra  
se complexum esse Keplerus existimat, quantum ejusdem per  
totam machinam cœlestis rotunditatem sub aura tenuissima for-  
mâ extensum est.

35. Talem perspicui condensationem Lucis produ-  
ctricem esse probamus tum ratione, tum experientia.

Ratio hæc est. Id quod ex corpore perspicuo, potentia  
tantum  $\delta\iota\alpha\ \tau\omicron\ \mu\alpha\upsilon\delta\upsilon$  seu propter raritatem visibili, efficit aspe-  
ctabile actu; idem ipsum quoq; lucere facit, & consequenter  
genuina erit Lucis causa. At condensatio ex corpore perspi-  
cuo, potentia tantum propter raritatem visibili, efficit aspe-  
ctabile actu; Ergo condensatio corpus perspicuum luce-  
re facit, lucisq; genuina est causa. Majoris robur sic ostendi-  
mus. Quæ re ipsa planè conveniunt, illa ab eadem causa  
proficiscuntur. Sed aspectabile actu esse & lucere re ipsa planè  
conveniunt: corpus enim actu visibile est quatenus lucet,  
b.e. quatenus speciem sui extra se diffundit ac exprimit. Ergo  
aspectabile actu esse & lucere ab eadem causa proveniunt, ac  
proinde id quod corpus efficit aspectabile, idem quoq; lucere  
facit. Minorem confirmamus hoc modo. Quicquid  
perspicuitatem terminat, id ex potentia visibili efficit aspecta-  
bile actu. Sed condensatio perspicuitatem terminat. Ergo  
condensatio ex potentia visibili efficit aspectabile actu.

Clariss. atq;  
Excoll. L.  
Müll. lib. 2.  
Phys. c. 3.

36. Experientia desumi potest ab aere & novis stellis,  
quas temporarias vocant Astronomi. Videmus enim  
aerem inter silicem & cbalybem interceptum per attritio-  
nem cogi seu condensari, & in scintillas lucidas transmu-  
tari. Videmus hanc ipsam causam novis stellis præbere ori-  
ginem, dum, quacunq; sanè occasione, partes cœlestes aliæ  
aliis,

aliis magis magisque compinguntur, ut in primævæ stellæ modum elucescant. Nam circa Galaxiam in exactissima illâ stellæ anni 1572. omniq; fide majori observatione deprehensus fuit quidam hiatus instar Lunæ semiplenæ, quem nemo antè viderat. Talis ab anno Epochæ Christianæ 1602. in Cygno fulsit, & anno 1604. in Ophiucho, aliâq; anno 1601. in piscibus. *Tantum de causa efficiente.*

Tycho lib. 1.  
Progymn.

37. Materiam propriè dictam Lux agnoscit nullam: Materia. Hoc enim sibi commune habet cum cæteris accidentibus, quorum materiam nullam esse docuit ex Aristotele veritatis præceptore, ut eum vocat, Scaliger Exerc. 298. s. ult. Analogicam interim habet in subjecto suo, quod est corpus per se lucidum: proprium enim subjectum in definitionibus accidentium materia vicem sustinet.

Zab. l. 4. de  
methodo c. 14.

38. Est verò corpus per se lucidum, quod ex perspicuo condensato constat, suaq; insita & nativa luce radiat; cum è contrario per accidens lucidum id dicatur, quod alieno & adventitio lumine vestitum est. Nominantes itaq; corpus lucidum coloratum subintelligimus, cum & ipsi, ob commistionem opaci cū perspicuo, vis insit radiandi, tamen si ignavior & hebetior, quæ luminis presentiam desiderat, ut actuetur, non ut sit coloratum, quod jam est per suam naturam; sed ut indicium sui faciat in medio: quod ipsum per  $\Phi\lambda\omicron\gamma\alpha\ \epsilon\kappa\acute{\alpha}\sigma\omega\nu\ \sigma\omega\mu\acute{\alpha}\tau\omega\nu\ \delta\pi\epsilon\rho\rho\acute{\epsilon}\sigma\alpha\nu$ , h. e. flammulam è singulis emicantem corporibus, divinus ille Plato innuisse videtur.

Scal. exerc.  
325. s. 3.  
& 5.

39. Corpus ergò per se lucidum adæquatum erit lucis subjectum: Quò nomine Solem καὶ ἐξοχὴν venire insitias facile ibit nemo, nisi fortassis utròq; captus & mentis & corporis lumine summam solaris Lucis excellentiam insolenter pernegaverit. Quòd verò Keplerus in centro Solis, quem

In Paral. c. 6.  
n. 1.

C

quem



quem omnia lucis participia imitari, ac proinde ne colores quidem ex nudis superficiebus derivari ait, sedem lucis potissimam, unde superficies hanc vim suscipiat, totiq; mundo dispense, fixam esse statuit; id per omnia approbare non possumus, cum ex falso supposito de causâ lucis productrice extructum sit. Hoc tamen dicimus, si ingenium ac lex percussus ex Opticorum doctrinâ attendatur, longè profectò fortio- rem lucis vim in centro, ac in superficie, residere oportet; cum ea (verba sunt Kepleri) undiq; repercutiatur à superficie cavâ, & in centrum recolligatur, ac per centrum transiens in superficiem oppositam identidem repercussus iteret. Verùm hac altio- rem requirunt sui indagine- nem, tantâq; difficultatis sunt, ut in presentia expediri non possint. Δουδὸς γὰρ (ut est in proverbio) ἐπὶ πᾶσι τέτυκται. Nobis quoq; nostræ infirmitatis probè consciis non videmur posse ire per extentum funem. Ac cum benè munitam civi- tatem expugnare adeò difficile sit,

Horat.

Virgil. Ecl. 4.

Forma.

Zabar. dist. 1.

Scal. exerc.

71. §. 1.

Hanc altam ad Trojam magnus mittatur Achilles.

40. Sed & Formam Lux non habet, cum sit accidens, simplex actus & ipsa forma: exprimitur tamen per quali- tatem primam sui diffusivam, generis loco in Definitio- ne positam: nam accidentis genus in definitione forma lo- cum obtinet. Lucis igitur forma in eo potissimum cernitur, quod sit qualitas prima sui diffusiva, h. e. apta nata extra se producere qualitatem sibi similem, quam propriè lumen ap- pellamus. Nam quod aliis qualitatibus non paucis tributum est, ut sui simile in spacio intermedio producant, & hoc modo se communicent ad distans; id Lux omnium totius mundi qualitatum præcellentissima dignissimaq; multò perfe- ctiori modo prestare debuit; conveniens nimirum cœle- stibus ac proinde perfectissimis corporibus, quibus in-  
bunc

*bunc mundum inferiorem agendum erat : quæ cum per sese* Kepl. in Opt. c. 1.  
*suarum superficierum finibus terminata seipsa multiplicare*  
*Et ad distans communicare non possent, hanc nobilissimam*  
*acceperunt virtutem, quâ extra corpus ipsius simile diffunde-*  
*rent, Et per idin longè distans agerent.*

41. *Finis Lucis vel Hyperphysicus vel Physicus: ille* Finis. c. 43. v. 2.  
*est divinæ gloriæ annunciatio. Quodenim Syracides de*  
*Sole pronunciat, ejus splendore totum orbem illustrari,*  
*& ideò gloriæ Domini plenum esse opus; hoc de eo pro-*  
*pter lucem vel maximè verum esse, quis est qui non intelli-*  
*gat? Unde Keckermannus pervenustè hâc de re loquitur: System. Phys.*  
*Quoties, inquiens, hoc dictum Apostoli in mentem ve-* l. 2. p. 142.  
*nit: ex visibilibus Dei invisibilia cognosci Rom. 1. toties Apo-*  
*stolum de Luce in primis loqui existimo, quæ Lux ma-*  
*ximè est visibilis, visibiliaq; reddit omnia. Quid? quod*  
*ejus similitudine non tantùm Dei Patris & Filii indivisa*  
*unitas, sed æterna quoq; generatio indicetur, quando Filius*  
*Dei splendor Patris nuncupatur; Et verbis symboli, Dei Ver-* Hebr. 1.  
*bum Deum de Deo, Lumen de Lumine confitemur. Ut*  
*taceam eâdem comparatione mysterium unitatis & plura-*  
*litas longè maximum in divinitate haut parum illustrari.*  
*Vide Locos Theologicos D. Hafenrefferi. Plures quoq; In L. de Deo.*  
*ab eâ ductæ similitudines ad alias res spirituales explicandas*  
*Et intelligendas, tum in Sacrarum Literarum monumentis,*  
*tum in Patrum scriptis frequenter inveniuntur.*

42. *Physicum non modò ex Lucis elegantia, amœni-*  
*tate Et pulchritudine; sed etiam vi, usu Et efficacia, quâ* Casalp. lib. 5. quest. perip. 8.  
*totum mundum ornat, regit, exhilarat, & ceu obno-*  
*xium reddit sibi, cui vis patere arbitramur. Aut si cui ce-*  
*rebrum adeò crassum Et spissum est ad hunc capiendum Et in-*  
*telligendum; is quaeso consideret illustria Lucis Encomia,*  
*quibus passim apud Theologos Philosophosq; celebratur,*

collectis à Conimbricenis l. 2. de cælo c. 7. q. 5. art. 2. breviter :  
finis lucis est salus rerum omnium, hominis præsertim, cujus  
causâ res omnes sunt condita.

Effecta. 43. Effecta Lucis (proxima intellige; nam remota infinitis propè  
Aristot. l. 2. de cælo l. 42. modis variant) sunt φῶς ἢ θερμότης, Lumen & calor: Lumen imme-  
diatè, calor mediatè. Astra siquidem calefaciunt per lumen. Sed  
cùm isthac ob ineffabilem, quam continent, difficultatem, peculiarem exi-  
gant tractationem, eamq; his pagellarum angustiis complecti non liceat;  
præstat tacere quàm pauca de iis exponere. Iccirco aliis edisse-  
renda relinquimus, vel etiam nobis ipsis, Deo favente, aliquando elabo-  
randa reservamus.

44. Atque hæc sunt, quæ de hac materiâ sanè subtilissima &  
perdifficili commentati sumus. Ingenuè autem fatemur, nos in multis  
nobis ipsis nondum satisfacere, anxios harere, aliorumq; exercitiorum  
sententias expectare. Volumus itaque censuræ & iudicio Sapien-  
tum subiecta omnia. Nam in tanta mentis nostræ caligine, rei q; ab-  
scondite subtilitate quid facilius est quàm labi & falli?

45. Ergo si quid peccatum, des veniam & benignè moneas:  
nihil enim gratius nobis evenire potest, quàm si quid ab aliquo asseratur ma-  
gis eruditum & rectum: Si dextrè quid traditum,

Gratias tibi, ô Domine J E S U, Lumen de Lu-  
mine & splendor gloriæ Patris.

---

P R O B L E M A T A.

LOGICUM

Num hæc inductio: Petrus est rationalis. E. Omnes homines sunt ratio-  
nales: sit imperfecta & possit argui insufficientis enumerationis? N.

R H E T O R I C U M.

An tropus etiam sit in vocibus conjunctis? N.

M E T A P H Y S I C U M.

An idem accidens possit esse in duobus aut pluribus numero subiectis? D.

P H Y S I C U M.

An anima hominis tota in toto corpore, & in singulis simul corporis  
partibus tota sit? A.

M A T H E M A T I C U M.

An Circuli astronomici habendi sint pro meris rationis Entibus seu fi-  
gmentis? N.

E T H I C U M.

Utrum melius sit pati injuriam quàm inferre? A.


P O L I T I C U M.

An Ludi Scenici, quales sunt Comædia & Tragædia, in bene constituta  
Republica sint ferendi? A.

O E C O N O M I C U M.

Utrum τὰ γέφυρα sint pars familia? N.

Θεῶν δόξα.







ULB Halle

3

006 691 277



1012

7







DEO DUCE AC LUCE.  
ΦΩΤΟΛΟΓΙΑ

Seu  
LUCIS

Contemplatio Physica,

Quam  
Auspiciis

Incluti Collegii Philosophorum  
in almâ Lipsiâ,

Vice disputationis pro Loco  
Secundæ

Publicè proponit

M. MATTHIAS BUCHOLDUS  
Brandenburgensis.

Ad diem 23. Januarii

Anno 1630.

In auditorio Philosophico.



L I P S I Æ

Excudebat GREGORIUS Nisch.

